



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae  
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E  
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv  
Redivivae**

**Rhay, Theodor**

**Neobvrgi Ad Danvbium, 1663**

II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10835**

Die I.

**I**N *Sacrario* NEOBURGENSI, *elevatio* *Reliquiarum SS. Martyrum* ABUNDANTII, INNOCENTII, GENASII & FELICIS *Pape*; quorum posterior Apostolico zelo æstuans, disciplinam Ecclesiasticam acerrimè propugnavit, Hæreticorum audaciam fregit, Achatium Hæresiarcham à Catholicorum Communione Sedèque Constantinopolitanâ semouit, multisque curis & laboribus pro Ecclesia defunctus, sanctissimam Vitam pari Morte conclusit. In tumulo eius cæci oculos, claudi pedes, miseri passim omnes salutem repererunt. *Ex sacrarij indice, & Martyr. P. Causis.*

II.

**H**odie in terris esse desijt *WALERANDVS GERHARDI* *Comitis Iuliacensis* heres, ex *Præposito Leodiensi, Archiepiscopus Coloniensis* anno à partu Virginis 1334. Eximiâ fuit in cælites religione, & ob raras animi dotes inter æui sui *Præsules clarissimus*; quem multis, in primis *Euangelij disseminandi donis cælum illustrem reddidit, Ecclesie sue decus, gentis IULIÆ deli-*

*um ac*



*um, ac subditorum amor.* judicabat hic Præful Deo & Zelo plenus, plus esse verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis, terreno pane satiare. Magnū & vehementer sitientem salutis animarū animum cælo intulit COLONIÆ, ibidem in summâ TRIUM MAGORVM ÆDE sepulchrum inveniens. *Annales Coloniens*

HEISTERBACI in MONTIVM ducatu venerabilis est dies CHRISTIANI *Monachi*, vitæ integritate, & miraculis multum illustris; qui corporis afflictionibus ac religiosis perfectionibus usque adeò addictus fuit, ut Superis & hominibus charo, ac litanti sæpius B. Magdalena Angelis comitata adstiterit; atque grauissimo demum morbo decumbentem Christus, eiúsque Mater admirabilis septem continuis diebus clara in luce spectabiles inviserint; & cum morituro horas precarias decurrere visi sint. Moriturus totâ mente in Deum confixus, in suauissimis consummatæ charitatis affectibus CHRISTO Christianus junctus est, nullo tempore separandus. *Ex loci eius Necrologio & fast. Marian.*